



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola IX. Gregorii Papae I. Ad Antoninvm Svbdiaconvm. De Florentio  
episcopo iniuste deposito.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

## EPISTOLA IX.

## GREGORII PAPÆ I.

AD ANTONINVM SVBDIACONVM.

De Florentio episcopo iniuste deposito.

*Gregorius Antonino subdiacono.*

**P**ERVENIT ad nos Florentium Epidauritanæ ciuitatis episcopum, præreptis prius rebus eius, pro quibusdam non approbatis criminibus sine sacerdotali Concilio fuisse damnatum. Et quia non debet is poenam sustinere canonica<sup>Grat. II.  
q.3, cap. 44.</sup>, in cuius damnatione non est canonica prolata sententia; præcipimus experientiæ tuæ vt Natali fratri & coepiscopo nostro debeas imminere, quatenus supradictū vi-  
rum de eodem eiici faciat quo nunc dicitur detrusus exili. Conuocatoque episcoporū Concilio, si hæc in quibus accusatus est canonice fuerint approbata, præfati Natalis fratris & coepiscopi nostri volumus in eum proprium ro-  
bur obtinere sententiam. Sin autem generali fuerit iudicio absolutus, nec eum deinceps cuiuslibet præiudicio subiacere permittas: & præfatae res disticta tuæ sollicitudinis restituantur instantia. Necesse est ergo, vt quanto grauiora talium negotiorum perpendis pondera, tanto ea maturiori vigilanterique studeas executione complere.

## EPISTOLA X.

## GREGORII PAPÆ I.

AD SABINVM SVBDIACONVM.

De Calchedonensi Synodo, &amp; de aliis tribus Synodis recipiendis.

*Gregorius Sabino subdiacono.*

**E**XEVNTES maligni homines turbauerunt animos ve-<sup>Ioan. diac.  
libro 4. c.  
59. vit.</sup>  
stros, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, astruentes quod aliquid de sancta Calchedonensi Synodo piæ memoriarum Iustiniani temporibus sit imminutum, quam omni fide omnique deuotione veneramus. Et sic quatuor Synodos sanctæ vniuersalis ecclesiæ sicut quatuor libros sancti euangelii recipimus. De personis vero de quibus post terminum Synodi ali-